Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1219

Quelle:
Copyright:



affirmat Commentarios, quos vidisse se ait *Joh. Eckius* in Epistola ad Episcopum *Eichstad.* citata *Sec. II. Conspect. Univ. Vien.* p. 88. *carnositissimos.* Interim hoc Codice nonnisi *Lectura* in I. ut jam diximus, continetur, et a *fol.* 95. in III. et demum a *fol.* 156. p. 2. in IV. Prior, ut pariter diximus, ἀκέφαλος nunc ab ingressu *Distinct.* X. orditur his verbis: *2° per modum remocionis dubij magis explanatur* &c. Alterius initium est: *Cum venit igitur plenitudo. Iste est tercius liber in quo Magister determinat de misterio incarnationis et passionis* &c. Ultimae: *Samaritanus vulnerato appropinquans. Postquam in precedentibus libris determinauit de rebus, scilicet in primo de rebus quibus fruendum est* &c. Si *carnositas Eckii* de mole intelligenda sit, alia viderit, quam quidem *Lecturas* praesentes, quas cum Aliorum *Commentariis in Petr. Lombardum* hoc *Vol.* relatis comparatas potius *Stricturas* dixeris.

## DXXVII.

U. 124 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 253. 4. currente calamo exaratus est juxta Titulum Thecae praefixum: *Lectura Primi Sententiarum M. Petri de Pulka*, sic dicti ab Oppido patrio, alio nomine *Tzach*, Academici nostri in his Commentariis saepe memorati. Lectura ipsa orditur *fol.* 17. *Circa primam Distinctionem queritur primo. Vtrum hoc genus actus libere voluntatis* &c. Quae praecedunt, Εισαγωγικα sunt, et quidem capite truncata, in quibus citatur *Gregorius Ariminens.* O. Erem. S. *Aug.* Prior generalis apud nos a. 1358. defunctus. Videntur etiam quaedam deesse in calce. Codicem ex una parte vestit interior membrana fragmentum Precum e quodam Judaeorum סדור seu *Rituali* elegantes scripto exhibens.

## DXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 136 Folior. 369. f. max. per duas columnas luculente exaratus, rubricis, et praevio Monachi ad librum confidentis iconismo decoratus, multum vero situ passus, et, ut in fronte, et *fol.* 11. praefert, olim emtus, Collegioque Ducali legatus a *Sigismundo Halbemer de Stranyng* Plebano in *Schöngraben* continet *Lecturam in Librum IV. Sententiar. Petri Lombardi* antecedente prolixa *Tabula*, ad cujus calcem annus 1431. signatus est. Prooemium infit: *In Nomine patris* &c. *Cum desiderarem vestris caritatibus in aliquo deseruire et id exposuissem venerabilibus patribus Domino nostro abbati et Domino priori visum est eis expedire, ut legam quartum Sententiarum* &c. Repetit mox, *ad Religiosos qui se vite monastice manciparunt*, se locuturum. Noli tamen inde ipsum quoque Monachum habere. *Nicolaus de Dünkelspühl* est, Academiae *Vindob.* celeber Theologus, quem *Nicolaus Seyringerus de Matzen* disciplinae monasticae